



# Francesco Cavalli

# HYMNS AND PSALMS

For two, three, four and five voices

## Latin Texts



DynamicOperaClassic



Dynamic opera  
and classical music

**1** Ave Maris Stella (Hymnus)

Ave maris stella,  
Dei mater alma,  
atque semper Virgo,  
felix caeli porta.

Sumens illud "Ave"  
Gabrielis ore,  
funda nos in pace,  
mutans Hevae nomen.

Solve vincla reis,  
profer lumen caecis:  
mala nostra pelle,  
bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem:  
sumat per te preces,  
qui pro nobis natus,  
tulit esse tuus.

Virgo singularis,  
inter omnes mitis,  
nos culpis solutos,  
mites fac et castos.

Vitam praesta puram,  
iter para tutum:  
ut videntes Jesum,  
semper collaetemur.

Sit laus Deo Patri,  
summo Christo decus,  
Spiritu Sancto,  
tribus honor unus.  
Amen.

**2** Iste Confessor (Hymnus)

Jesu corona Virginum,  
quem Mater illa concipit,  
quae sola Virgo parturit:  
haec vota clemens accipe.

Qui pergis inter lilia,  
septus choreis Virginum,  
sponsus decorus gloria,  
sponsisque reddens praemia.

Quocumque tendis, Virgines  
sequuntur, atque laudibus  
post te canentes cursitant,  
hymnosque dulces personant.

Te deprecamur supplices,  
nostris ut addas sensibus,  
nescire prorsus omnia  
corruptionis vulnera.

Virtus, honor, laus, gloria  
Deo Patri cum Filio,  
Sancto simul Paraclito.  
in saeculorum saecula.  
Amen.

**3** Iste Confessor (Hymnus)

Iste Confessor Domini, colentes  
quem pie laudent populi per orbem,  
hac die laetus meruit supremos  
laudis honores.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,  
sobriam duxit sine labe vitam,  
donec humanos animavit aurae  
Spiritus artus.

Cujus ob praestans meritum frequenter,  
aegra quae passim jacuere membra,  
viribus morbi domitis, saluti  
restituuntur.

Noster hinc illi chorus obsequentem  
concinit laudem celebresque palmas,  
ut piis ejus precibus juvemur  
omne per aevum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,  
qui super caeli solio coruscans,

totius mundi seriem gubernat,  
trinus et unus. Amen.

**4** Domine probasti (Psalmus 138)

1. Domine probasti me et cognovisti me:  
tu cognovisti sessionem meam et  
resurrectionem meam.
2. Intellexisti cogitationes meas de longe:  
semitam meam et funiculum meum investigasti.
3. Et omnes vias meas praevidisti:  
quia non est sermo in lingua mea.
4. Ecce Domine tu cognovisti omnia  
novissima et antiqua:  
tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.
5. Mirabilis facta est scientia tua ex me:  
confortata est, et non potero ad eam.
6. Quo ibo a spiritu tuo? Et quo a facie tua fugiam?
7. Si ascendero in caelum, tu illic es:  
si descendero in infernum ades.
8. Si sumpsero pennas meas diluculo:  
et habitavero in extremis maris:
9. Etenim illuc manus tua deducet me:  
et tenebit me dextera tua.
10. Et dixi: Forsitan tenebre conculeabunt me:  
et nox illuminatio mea in deliciis meis.
11. Quia tenebre non obscurabunt a te, et nox sicut dies  
illuminabit: sicut tenebre ejus, ita et lumen ejus.
12. Quia tu possedisti renes meos:  
suscepisti me de utero matris meae.
13. Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es:  
mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.
14. Non est occultatum os memum a te, quod fecisti in occulto:  
et substantia mea in inferioribus terrae.
15. Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur:  
dies formabuntur, et nemo in eis.
16. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus:  
nimis confortatus est principatus eorum.
17. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur:  
exsurrexi, et adhuc sum tecum.
18. Si occideris Deus peccatores:  
viri sanguinum declinate a me.
19. Quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate civitates tuas.
20. Nonne qui oderunt te Domine oderam? Et super inimicos tuos tabescemabam?
21. Perfecto odio oderam illos: et inimici facti sunt mihi.
22. Proba me deus, et scito cor meum:  
interroga me, et cognosce semitas meas.
23. Et vide, si via iniquitatis in me est: et deduc me in via aeterna.
24. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
25. Sicut erat in principio et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

**5** Nisi Dominus (Psalmus 126)

1. Nisi Dominus aedificaverit domum,  
in vanum laboraverunt qui aedificant eam.
2. Nisi Dominus custodierit civitatem,  
fustra vigilat qui custodit eam.
3. Vanum est vobis ante lucem surgere:  
surge postquam sederitis,  
qui manducatis panem doloris.
4. Cum dederit dilectis suis somnum:  
ecce haereditas Domini, filii:  
merces fructus ventris.
5. Sicut sagittae in manu potentis:  
ita filii excussorum.
6. Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis:  
non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.
7. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
8. Sicut erat in principio, et nunc, et semper,  
et in saecula saeculorum. Amen.

**6** Credidi (Psalmus 115)

1. Credidi, propter quod locutus sum.  
Ego autem humiliatus sum nimis.
2. Ego dixi in excessu meo:  
omnis homo mendax.
3. Quid retribuam Dominum,  
pro omnibus quae retribuit mihi?
4. Calicem salutaris accipiam:  
et nomen Domini invocabo.
5. Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus:  
pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.
6. O Domine, quia ego servus tuus:  
ego servus tuus, et filius ancillae tuae.
7. Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo  
hoastiam laudis,  
et nomen Domini invocabo.
8. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus:

in atrii domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

**9.** Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

**10.** Sicut erat in principio, et nunc, et semper,

et in saecula saeculorum. Amen.

**7** Laudate pueri (Psalms 112)

**1.** Laudate pueri Dominum:  
laudate nomen Domini.

**2.** Sit nomen Domini benedictum,  
ex hoc nunc, et usque in saeculum.

**3.** A solis ortu usque ad occasum,  
laudabile nomen Domini.

**4.** Excelsus super omnes gentes Dominus,  
et super caelos gloria ejus.

**5.** Quis sicut Dominus Deus noster,  
qui in altis habitat,  
et humilia respicit in caelo et in terra?

**6.** Suscitans a terra inopem,  
et de stercore erigens pauperem:

**7.** Ut collocet eum cum principibus,  
cum principibus populi sui.

**8.** Qui habitate facit sterilem in domo,  
matrem filiorum laetantem.

**9.** Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

**10.** Sicut erat in principio, et nunc et semper,  
et in saecula saeculorum. Amen.